



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 13322648**

§. 9. Ejusdem Regis gesta & indoles.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

Sæc. XVIII.

A. C. 1715.

§. IX.

*Ejusdem Regis gesta & indoles.**Hode Hist.  
de Louis  
XIV. l. 65.  
pag. 276.*

Tam varia & discrepantia de Ludovico Rege sunt Scriptorum judicia, ut ejus effigem justis coloribus exprimere, non adeo expediti laboris opus videatur; alii enim hunc Regem plus justo deprimunt, alii nimium extollunt, magni tamen Principis laudem nec ipsa etiam invidia Ludovico invidere potest; virtutem recepit a natura & gratia, vitia vero a fortuna & potentia: Primævo naturæ beneficio adeptus erat divinam penitus gravitatem, morumque Majestatem comitate conditam, exacta differendi facultate præstabat, & non minus ægre ferebat verbum extra ordinem suum positum, quam militem extra stationem suam: non equidem ea pollebat judicii felicitate, ut primo obtutu causæ merita assequeretur, hanc tamen tarditatem compensabat judicii soliditas, & communis sensus rectitudo: Fidelis erat legum custos, & scelerum vindex, severisque edictis Blasphemandi licentiam, & Duellantium furorem eliminabat: sinistros fortunæ casus ea animi moderatione excipiebat, qua secundos, nec unquam nisi invitus a nocentibus

pœnas

poenas exegit, totoque diuturni sui Re-  
 giminis tempore ex suis Proceribus  
 nonnisi unicum, eumque sua profapia  
 adeo indignum, ut nemo pro eo de-  
 precari auderet, capitali supplicio mul-  
 tati iussit: Inter ipsa libidinum incen-  
 dia Religionis studium in eo nunquam  
 refrixit, sacrasque res omni cultu ac  
 veneratione profecutus, precibusque  
 suis intentus, in Templis singulari mo-  
 destia rei sacræ interfuit: vitia omnia  
 infectabatur, præter ea, quæ virtu-  
 tum umbra honestare consueverat, om-  
 nis impietatis osor, nonnisi aut vero  
 aut simulato virtutum splendore claros  
 sua dignabatur amicitia. Eminuit vero  
 inter ceteras dotes fervido Religionis  
 Catholicæ studio, quod a suis Majori-  
 bus hæreditario jure adeptum velut  
 pretiosum Majestatis suæ depositum il-  
 libate conservare satagit: unde sicut  
 Franciæ Regnum suorum Regum Ma-  
 ximum, ita Ecclesia potentissimum a-  
 misit Protectorem: inter præcipuas a-  
 nimi sui curas habuit, concordiam cum  
 Sacra Sede conservandi, & hæreses  
 extirpandi sollicitudinem; revocato e-  
 nim Nannetensi edicto Calvinistas toto  
 Regno eliminare conatus, illorum fanis  
 funditus everfis, eorum conventicula  
 proscripsit, Collegia destruxit, Prædi-  
 cantes in exilium detrusit, cunctosque

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1715.

Sæc. XVIII. A. C. 1715 Sectarios ad officium redegit. Janse-  
niana etiam secta sub potenti tam reli-  
giosi Monarchæ dextera non uno le-  
thali vulnere confecta penitus evanuis-  
set, nisi præmatura nimis mors bene-  
cæptorum successuum seriem interci-  
disset: unde postremis etiam vitæ suæ  
horis coram Rohanio & Bissy Cardinalibus testabatur, nil magis sibi do-  
lere, quam Jansenismum extirpandi  
tempus sibi præripi: *Optaveram, in-  
quiebat, Ecclesiæ turbas omnino extinctas  
videre, id autem Deus, pro cuius gloria  
omnia feci, non permisit: fors putabunt  
alii, me ex animo præoccupato, meamque  
auctoritatem latius protendendi studio egis-  
se. Deum vero testor, quod si Episco-  
porum dissidia composuissem, id feliciter  
perfecisset dextera Cælo magis accepta.  
Morior tanquam Catholicus, Apostolico-  
Romanus. Diu in Majorum meorum fide  
vixi, ac milles mori malle, quam men-  
tem meam in morte mutare: Defendite  
semper Ecclesiæ causam, id Deus vobis  
præcipit, id meæ memoriæ debetis, meique  
ad Aram sæpius mementote.*

Nec tamen suis nævis caruit Ludo-  
vicus; præprimis enim immoderata  
bellandi cupiditate flagrans, ferme  
semper in armis stetit, non sine maxi-  
ma subditorum oppressione, sanguinis  
effusione, Provinciarum vastatione,  
com-

commercii artiumque ruina, & pecu- Sæc. XVIII.  
 niarum profusione: truculentæ hujus A. C. 1715.  
 gloriæ aviditatem magis adhuc in Lu-  
 dovico accenderat armorum felicitas,  
 tot reportatæ ab hostibus victoriæ, tot  
 expugnatarum urbium gloria, ac inde  
 liberaliter profusæ subditorum accla-  
 mationes, & superba honorum nomi-  
 na, quibus tanquam invincibilis He-  
 ros, Rex magnus, Immortalis, Natio-  
 num domitor, mundi terror &c. a  
 suis adulatoribus deprædicabatur, dum  
 interea ab exteris ambitiosus, ferox,  
 arrogans, nulliusque fidei Princeps  
 audiebat: Non raro bellum ex bello  
 natum gerebat, parum sollicitus, an  
 justum vel injustum foret, omnemque  
 pro hoste habebat, quem aut suæ glo-  
 riæ æmulum, aut hosti suo propensum  
 credebat: Ut Genuenses & Batavos in-  
 humana crudelitate insectaretur, jam  
 satis erat, hos Hispani Belgii excidium  
 præcavisse, illos Hispanis propensiores  
 fuisse. Prospera semper utebatur Mar-  
 tis fortuna, quamdiu exercitus curam  
 vigilantia ac virtuti Marchionis de  
 Louvois commiserat, postquam vero  
 ad Mentenoniæ arbitrium Belliduces  
 nominabat, ejus potentia hucusque  
 cunctis formidanda in hostium suorum  
 contemptum degeneravit, pluresque  
 Provincias & urbes multo sanguine  
 D 5 par-

Sæc. XVIII. A. C. 1715. partas una ferme hora amisit; nulli enim celerius in malam fortunam incidunt, quam qui aliena concupiscunt: unde postremæ expeditiones duntaxat aut Gallorum clade, aut plurium urbium jactura memorandæ erant, adeo, ut tandem ejus hostes Victori Ludovico duras admodum pacis condiciones præscriberent, & ipse in hoc solo adhuc felix, quod ita disponente Divina Providentia Orbis non ab alio, quam a Ludovico Magno post tot belli calamitates expetitam acciperet pacem, & hæc ipsa magnam tranquillitatis partem Ludovico morienti tribueret.

Reprehendunt insuper Ludovicum nonnulli, quod nimium ostentationi pompæ & magnificentiæ indulserit: Versalias, amplissimum hoc totius orbis hospitium, statutis, picturis, & aureo argenteoque apparatu exornavit; ædificia prorsus superba, & creberrima spectacula non sine immensis sumptibus exhiberi curavit: majoribus adhuc expensis dirempta immenso terrarum spatio maria conjunxit, montesque mutata veluti rerum natura immixtis annibus navigabiles effecit, transectisque terræ marisque divitiis suas Provincias locupletare studuit; insuper maximis impensis Pictorum, sculptorum, Architectorum, artis nauticæ

Sæc. XVIII.  
A. C. 1715.

ticæ, aliarumque artium & scientiarum erexit Academias, & Mathematicos in omnes terræ partes etiam remotissimas emisit. Quo autem in pretio habuerit eos milites, qui pro salute patriæ generosum sanguinem profuderunt, ac vulneribus suæ fortitudinis testibus sædati fuere, ut palam faceret, Parisiis construi fecit celebre Martis hospitium, in quo mutilati bello milites largiter sustentarentur: tantas denique, ut vocant, *pensiones* in externos, eruditos, Ministros, Tribunos, ac præcipue sœminas profudit, ut solus ferme tot exactiones, quot sui Prædecessores, a suis populis extorserit, & subditorum potissimis necessaria subtraxerit, ut superflua erogaret.

Regiæ tamen dignitati suæ maximam aspersit labem sua incontinentia, quæ cum ipso ferme excreverat; cum enim cum Mazarini Cardinalis Neptibus adolesceret, assidua familiaritas mutui amoris flammam in juvene Regis animo accendit, earumque unam abs dubio sibi matrimonio junxisset, nisi Cardinalis Patruus toto suæ auctoritatis pondere inconsultum hoc vinculum dissolvisset; Adultior factus, suæ cupiditati licentius indulgit, atque in sceleris obsequium compulit Ludovicam Franciscam de la Valliere, ex qua Filium

XVII  
ulli e  
a inci  
cunt:  
ntaxat  
m ur  
adeo,  
Ludo  
tiones  
lo ad  
Divina  
quam  
cala  
acem,  
s par  
t.  
vicum  
ationi  
lferit;  
us or  
s. &  
navit;  
berri  
s sum  
us ad  
terra  
ontes  
a im  
fecit,  
ivitiis  
t; in  
orum,  
s nau  
ticæ

Sæc. XVIII. lium & Filiam suscepit. Hac vero il-  
 A. C. 1715. liciti amoris compedes dirumpente,

*Vid. l. 215.  
t. 68. p. 274.* Ludovicus pro summo imperio Fran-  
 ciscam Athanasiam de Rochechoart  
 Montespani Marchioni ejus marito eri-  
 puit, ac per quatuordecim annos ejus  
 amplexibus usus, adulterium decreto  
 publico deinceps licentiæ Regiæ ti-  
 tulo palliabat; ea vero a sua rivali de-  
 trusa, atque in Asceterium Virginum  
 ad S. Jacobum convolante, Mariæ An-  
 gelicæ Ducissæ de Fontage complexus  
 invalit, quæ tamen ex primo puerpe-  
 rio decessit: Postmodum Ludovicus  
 Franciscam de Aubigné quondam Mar-  
 chionis de Cheureuse concubinam, &  
 postea Pauli Scarronis Poetæ conju-  
 gem deperiit, eamque Marchionissam  
 de Maintenon vocari voluit, suamque  
 Amasiam esse palam declaravit, tan-  
 quam tunc demum vere Regia, emi-  
 nens, licitaque esset adulterii libertas,  
 cui imperantis approbantisque auctori-  
 tas accedit. Hæc tamen ipsa exempli  
 pravitatem criminisque audaciam sustu-  
 lit; mortuo enim Scarrone Ludovicus  
 post Theresiæ Austriacæ conjugis suæ  
 obitum Mentenoniam in æternam tha-  
 lami sui societatem adscivit, uxorio  
 jure, quæ usque ad Ludovici decessum  
 erat Regis conjux, non tamen Regina,  
 tanto tamen in honore & amore habita,  
 ac si



acsi semper solium occupasset, & a se-Sæc. XVIII.  
 nectutis miseris semper immunis fuisset: A. C. 1715.  
 sua enim morum comitate, compla-  
 centia, & præclaris naturæ dotibus Re-  
 gio Ludovici animo tam dextre domina-  
 batur, ut non modo ab ejus arbitrio  
 totius Franciæ sors & omnium fortuna  
 dependeret, sed etiam ipsemet Rex  
 suarum cupiditatum superior evaderet,  
 & reparatis vitæ licentiosæ offensionibus  
 per assiduas virtutum exercitationes,  
 uti semper generosus Heros, ita per-  
 fectus demum Christianus viveret, ac  
 moreretur.

§. X.

*Clementis summi Pontificis luctus ob  
 Ludovici XIV. Regis obitum.*

Intimo doloris sensu intempestivam Lu- *Orat. Con-*  
 dovici Regis mortem deplorabat Pon- *sist. p. 123.*  
 tificex, haud temere veritus, ne Ludo-  
 vico XV. defuncti Pro - Nepote, qui  
 tertio genitus Burgundiæ Ducis Filius  
 erat, adhuc septenne, proin per æta-  
 tem regimini impare, Aurelianensis Dux  
 Regni Administrator Constitutionis Pon-  
 tificiæ causam segnius pertractaret:  
 Eapropter Pontifex die vigesima tertia  
 Septembris Purpuratorum confessum  
 habuit, ac mærorem suum his verbis  
 explicavit:

*Vene-*